

MO MO
ILLVSTR. ACREVER. D.
D. ANTONIO

S.R.E. CARD. FACHINETTO.



ARTINI ab Azpilqueta Nauarri patri mei consilia, Cardinalis Amplissime, qua ille se de officiorum ratione consulentibus, sumpto semper spatio ad cogitandum, de scripto dare solitus erat, paucis ante annis, magno & sacerdotum, & Iuris Canonici peritorum bono prodierant. iam ve-

ro multo etiam plura, quam antea, multoque diligentius accuratiusque correcta proferuntur in lucem. Neque sane mihi diu deliberandum fuit, cui potissimum essent hoc tempore nuncupanda. Sciebam enim, quam semper fuerit fel. record. INNOCENTIVS IX Pontifex Maximus, patruus tuus, Martinum Nauarrum, ob eius singularem doctrinam, cum morum probitate coniunctam, singulari beneuolentia prosequutus; quantoque etiam sua, & suos propinquos & amicos, quoad vixit, fuerit amore complexus. Atque adeo nihil siue tuo, siue meo patruo gratius à me in hoc genere fieri posse arbitrabar, quam si id præstarem, vt in tuo nomine hoc opus appareret. Et vero cum vterque in cœtu caelestium beatissimus viuat, vt de Omnipotentis Dei misericordia confido; vtrique itidem aliquid gaudij accidere opinor, quòd hoc munus à me tibi præcipue deferatur. Quare, quod officij mei ratio postulabat, patri mei existimationi consulens curavi, vt eius opus tibi inscriptum quàm ornatissimum emitteretur: Tue erit